



RATISBONA,
DEO, CÆSARI,
EXERCITUI

PUBLICÆ GRATES AGENS
PRO NUPERRIMA VICTORIA,
A. D. XXI. AUG. M. DC. LXXXVII.

RATISBONÆ,
Typis Johannis Georgii Hofmanni.





Uod nunquam potuit Teuto sperare, nec hostis
(Sic variat vultum fortuna) timere superbus;
Numinis ecce favor, Leopoldiq; inçlyta vir-
tus

Annuit. Odrÿsum nomen, Saracenicæ gestæ
Et Caliphæ, & quos horum succedere regno
Jusserat ira Dei, quis non exhorruit olim?
Quis non ad tantum stupuit pertingere culmen
Turcarum populum? quem Sol immisit uterque
Pannoniis etiam, Germanis ut metus esset.
Nec modo lascivos pueros hoc nomine nutrit
Terruit: & canas funesta peritiam mentes
Barbigerosque viros altâ formidine prescit.
Et nobis Scythicum memini venisse pavorem,
Fugera qui colimus Regino adversa Bohemo.
Quin etiam nostras hac Gorgone sistere culpas
Artis vel pietatis erat. nam more procellæ,
Quæ ruit ex alto simul improvisa, rapitque
Omnia, perflabat Turcæ violentia terras,
Ut pænæ scelerum mitescere corda docerent.
Hei mihi, quot vitas hausit ferus ille tyrannus,
Tristior infami Scylla, quot templa, quot arces?
Quot qualesq; manus sævæ pressere catena?
Nunc metus ille solum justâ vice deniq; vertit.
Nunc percussa jacet violenti gloria regni:
Arbor ut alta vago descendit fulminis ictu,

Implicat & casu, dulci quos texerat umbrâ.
Nunc insectantur puerilia sibila gentem,
Torvaque nequicquam captorum ludit in ora
Vulgus, & obscura ridet dispendia Luna.
Nunc crudele nefas abruptaq; fœdera fassi,
Detestantur opus Martis, pacemq; requirunt.
At nobis armata placet Themis, aspera diva,
Tot proavos ultura manu, præcinctaq; lauru
Gloria: nec mentem ficto sermone movemur.
Surgimus ipsorum per corpora dedita morti.
Hos sorbet diffusa palus, hos immolat ensis
Falcatus: quoniam talis deliquerat ensis.
Innumeras volvit cetras & corpora Drævis.
Princeps Allobrogum volat ecce, petitq; Viennam,
Nuntius egregiæ cladis: quem deinde sequuntur
Cum magnis alii spolijs, ereptaque signa
Ante pedes sacros Augusti fundere certant.
Emerita complent armaria longa pharetra.
Tota novis opibus regio florescit: Eoam
Accipiunt gremio Cererem mirantia rura.
Affluit è Creta vinum: sua pruna Damascus
Non negat: in præda vehitur candentis oryza
Copia: venduntur modico, passimque feruntur
Barbaricæ vestes, varique aulæ laboris.
Ignipedes laudamus equos, alimusq; camelos:
Et ponti gemmas, Arabumq; ostendimus aurum.

*Ipsi quin etiam, projectâ lege Corani,
 Discere latantes oracula provida Christi
 Incipiunt, humilique jugum deposcere collo.
 Quid restat, nisi ferre Deum, qui talia donat,
 Laudibus aternis, conceptaque solvere vota?
 Ergo agite, ò cives, delubra capessite lati.
 Fugite dona tholis, & carmina dicite sacra.
 Serviat (hoc fas est) & vox & vita Tonanti.
 Respicit ille polo fessos nos denique : contra
 Respexisse polum totâ nos mente decebit.
 Tuque, parens orbis Romani, lauriger heros,
 Cujus dulce caput, clypeatâ Pallade fetum,
 Sidera contingit, clarique est sideris instar ;
 Cujus tela Deo famulantur, vota que pugnant ;
 Vosq; duces, fidaq; manus, quæ sanguine vestro
 Civibus & vobis palmamq; oleamq; paratis ;
 Accipite has urbis devinctæ munere grates.
 Dum superabit ei civis, dum curret in ortum
 Danubius, laudes vestras & conscia lingua,
 Et fasti repetent : & me nisi fallit Apollo,
 Carmina latitiâ referent hæc ipsa nepotes.*

